



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regvlæ Societatis Iesv**

**Angeli, Bernardo d'**

**Romæ, 1616**

De cura nostrorum in spiritu. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)

*De cura nostrorum in Spiritu.*

C A P. III.

20 **C**Vret, vt cuique in suo officio integram obedientiam Collegiales præstent, & officiales Ministro, & sibi etiam omnes, studeatque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, præstare debet.

Obedientia in omnibus seruanda.  
P.4.c.10.§.8.

21 Det operam, vt Constitutiones, & Regulæ obseruentur: omnibus Collegialibus cum omni sollicitudine inuigilet, eosdemque ab iis, quæ nocere possint Domi, & foris defendat, tum præueniendo, tum etiam si quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita vt in virtutibus, & literis proficiant.

P.4.c.10.§.5.  
& p.6.c.1. §.1. et p.10. §. vlt. in proce. decl.  
Constitutionū & Regul. obseruantia.

22 Efficiat, vt sibi, vel aliis ab ipso deputatis, statis temporibus ratio conscientiæ reddatur à suis iuxta modum, qui in officio Prouincialis præscribitur, & instructionē ad reddendam conscientiæ rationem: & aliquos præterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant, nisi Prouincialis tunc adsit.

In Exa. c. 4. §. 36. 38. & 41. & p.6. c. 1. §. 2.  
Conscientiæ ratio reddenda.

23 Meminerit vt Scholastici, & Coadiutores non formati bis singulis annis circa festa Circumcisionis Domini nostri, & Apostolorum Petri & Pauli vota sua renouent, præmissis

P.4.c.4. §.5.  
& p.5.c.4. §.6. & Can.14. Cong. 2.  
Vota bis in anno renouanda.

missis iis, quæ fieri solent.

P. 3. c. 1. §. 28

Quando exhortationes nostris faciendæ.

24 Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem nostris vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri instituti bene teneat, in qua agatur de obseruatione Constitutionum, & Regularum, de fraterna caritate, humilitate, patientia, mortificatione, & aliis virtutibus, præsertim de obedientia, rametsi exhortationis loco spiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi potest.

Subditos cum caritate alloquatur.

25 Crebro, & magna caritatis significatione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animæ, paterno affectu prospiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, præsertim graui, eius peculiaris curam, & sollicitudinem, non solum per se, sed etiam si necesse fuerit per alios gerat: nec remedium longius differendo, difficultatem morbi curationem reddat.

P. 3. c. 1. §. 15.

Modus iniungendi pœnitentias.

26 In correctionibus, & pœnitentiis iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis vniuersalis, & particularis earum ad gloriam Dei.

P. 3. c. 1. lit. N

Correctio vt faciendâ.

27 Nisi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictauerit, illud in correctionibus obseruet, vt ii, qui peccant, primo in caritate, & dulcedine admoneantur: secundo in caritate quidem, sed eo ta-

men

men modo, vt eis confusio, & rubor iniiciatur: tertio amori ea, quæ timorem incutiant, si opus erit, adijciantur.

28 De publicis defectibus publica debet esse pœnitentia, ijs tantum, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

P. 3. c. 1. lit. N  
Publica pœnitentia.

29 Poterit mittere interdum aliquem ex suis, vt ostiatim petat eleemosynam, aut vt inseruiat hospitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Christianamue doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur, habita ratione ædificationis, & spiritualis vtilitatis nostrorum.

Publicæ mortificationes.

30 Delegare poterit Confessario, vel alijs vices suas, vt eas pœnitentias approbent, vel improbent, quas, ad maiorem sui spiritus profectum, assumere quisque volet.

In Exam. c. 1. lit. C.  
Pœnitentiariū approbatio.

31 In danda facultate ieiunandi, sicut & in alijs pœnitentijs concedendis, videat, ne mensuram rectæ rationis excedat, detq. operam, vt omnes intelligant ad singularitatem non pertinere si ieiunet alijs non ieiunantibus, dummodo ordinaria consuetudo ieiunandi, quæ iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.

In 1. Congr. tit. 6. dec. 17.  
& in Exa. c. 1. §. 6.  
Vt concedenda.

32 Vnio, & conformitas mutua diligentissime curanda est, nec ferenda inter vllos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: si quid autem huiusmodi accideret, curet, vt statim cum satisfactione debita in gratiam

P. 3. c. 1. §. 18.  
Vnionem curet.  
Ibid. lit. P.

G tiam

tiam inuicem redeant.

P. 3. c. 1. §. 19. 33 Tam ipse, quam omnes alij Sacerdo-  
 Officia dome tes, qui ei videbuntur, iuxta Constitutiones,  
 flica à Sacer- aliquando intra annum officium, vel officia  
 dotibus obe- eorum, qui Domi inseruiunt, ad tempus ali-  
 unda. quod obibunt.

P. 4. c. 4. lit. B. 34 Non permittat nostros Scholasticos  
 Nostri quan- frequentius, quam octauo quoque die com-  
 do communi- municare, nisi particulares ob causas, habita-  
 cabunt. magis ratione necessitatis, quam deuotionis  
 diebus tamen solemnibus in hac re dispensa-  
 re poterit. Coadiutoribus vero, & ijs, qui  
 literis non dant operam, longe facilius con-  
 cedi potest, vt etiam intra hebdomadam com-  
 municent, & Præfecto rerum spiritualium,  
 aut confessario delegari, vt id concedat ijs,  
 quos ea ratione magis in spiritu iuuari in Do-  
 mino iudicabit.

In Exa. c. 4. §. 35 Videat scripta, & literas omnes, quæ  
 6 & p 3. c. 1. scribuntur ad domesticos, & quas ipsi alijs  
 lit. B scribunt, aut aliquem virum fidelem, qui do-  
 Literæ dādæ. num discretionis habeat, domi constituat,  
 qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout  
 in Domino magis expedire iudicabit, sibi que  
 referat, si quid inuenerit, quod tanti sit, vt  
 de eo Superior monendus videatur. Res au-  
 tem vanas, aut quæ alia ratione offendere  
 possint, neminem scribere permittat: nec si-  
 gillum quemquam habere sinat sine Prouin-  
 cialis facultate.

36 Non sint in Collegio arma, nec instrumenta musica, nec libri lasciui, aut vani, nec nouæ vllæ recreationes introducantur.

P.3.c.1.§.14.  
& lit. M.  
Arma, Instrumenta musica & libri lasciui &c.

*De literarum studijs.*

C A P. IV.

37 **N** Eminem ad inchoanda studia admittat, nec eos, qui ad illa ex Prouincialis commissione admissi fuerint, ad aliam facultatem promoueat, absque eiusdem Prouincialis approbatione, cui post maturam considerationem, & examen, de vnoquoque suo tempore significabit, quid sentiat.

P.4.c.5. §.2.  
& c.13. §.4.  
Ad studia admittendi.

38 Impedimenta remoueat, quæ à studijs animos scholasticorum auocant, qualia sunt nimix mortificationes, vel deuotiones, vel externæ occupationes aut colloquia cum externis: quæ quidem raro & paucis, nec sine expressa ipsius licentia, permitti debent. Et circa illorum valetudinem peculiari cura animaduertat, vt & in laboribus mentis modum seruent, & in ijs quæ ad corpus pertinent, religiosa commoditate tractentur, vt diutius in studijs perseuerare tam in literis addiscendis, quam in eisdem exercendis ad Dei gloriam possint.

P.4.c.6. §.3.  
Scholasticorum curam geret,  
p.4.c.4. §.1.  
Dec.75. §.16  
7. Congr.